AUTHOR:

JAHN, JOHANN CH.

TITLE:

I. C. IAHNII DISPUTATIO DE HORATII CARMINE...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1845

Master Negative #

91-80313-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Jahn, Johann Christian, 1797-1846.
...I. C. Iahnii Disputatio de Horatii carmine primo. Lipsiae, typis Guil. Staritzii, [1845]
30 p. 23½ cm.

At head of title: Viro excellentissimo... Godofredo Stallbaumio... gratulatur Schola Thomana d. IX. m. Febr. a. MDCCCXLV...

 Another copy.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-28-91 INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no. 6

6

no. 6 61 Dupl

VIRO
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO,
RECTORI SUO MERITISSIMO
GODOFREDO STALLBAUMIO
MUNUS PRAECEPTORIS
ANTE HAEC QUINQUE LUSTRA
IN IPSA SUSCEPTUM
GRATULATUR
SCHOLA THOMANA
D. IX. M. FEBR. A. MDCCCXLV.

Inest: *I. C. Iahnii Disputatio de Horatii carmine primo.*

LIPSIAE
TYPIS GUIL. STARITZII, TYPOGR. ACAD.

Q. B. F. F. Q. S.

Faustissimus hodie Tibi illuxit dies, Stallbaumi Excellentissime, quo ante hos viginti quinque annos in hac schola Thomana, in eius magistrorum numerum vocatus, publico docendi munere fungi coepisti. Quem diem quamquam a Te ita exspectari vidimus, ut Tu eius adventum sedulo celares eumque pro modestia Tua Tibi soli tacita privataque laetitia agendum sumeres; nos tamen, collegae Tui, ab animis nostris non impetravimus, ut verecundiae Tuae cederemus; sed tum nostro amori, tum discipulorum pietati, tum maxime ipsius scholae desiderio concedendum esse putavimus, ut hoc auspicatissimo die in Tuam laetitiam veniremus, Tibi eius felicitatem ex intimo pectore congratularemur, et quo in Te simus animo, publica professione testaremur. Religioni enim habuimus scholae denegare, ut hunc diem laetissimis honestissimisque festis suis annumeraret, quo, quibus laetetur, plurima, quibus glorietur, permulta, quorum Tibi gratiam habeat,

complura sibi parata esse fatetur. Laetatur, quod Te, quem olim inter alumnos suos sibi ipsa quasi educavit et ad futurum sui usum instituit, et quem vix quinquennio ex discipulorum subselliis dimissum in magistrorum suorum numerum revocavit, hodie iam per quinque lustra hoc magistri munere cum tanta bonarum artium prosperitate functum esse videt, ut beneficiorum a se acceptorum gratiam cumulate retuleris. Laetatur, quod Te per totum hoc tempus fidelissimo studio et diligentia atque admirabili docendi educandique arte et successu de rebus suis tam bene tamque egregie promerentem vidit, ut magnas quas concitabas exspectationes, cum e collegio praeceptorum Paedagogii Halensis huc revertebaris, longe superaveris et cito Te dignum praestiteris, quem in superioribus discipulorum ordinibus literas docere iuberet, denique, decem abhinc annis, sibi rectorem et rerum suarum moderatorem eligeret. Laetatur, quod Te in officio et praeceptoris et rectoris rite exsequendo tanta ingenii animique praestantia, literarum artiumque bonarum scientia et doctrina, rerum scholasticarum peritia, docendi regendique sapientia et prudentia, omnium denique, quae scholae magistrum et rectorem decent, virtutum copia instructum ornatumque videt, ut iure meritoque principem inter magistros locum obtineas. Gloriatur, tantam etiam inter doctos et literatos homines

Tibi esse auctoritatem et excellentiam, ut in philologorum numero inter antesignanos habeare, utque et libris Tuis docte et eleganter scriptis et insigni veterum scriptorum tractandorum explicandorumque arte non modo magnam Tui famam, sed in Platone Tuo adeo sospitatoris nomen assecutus sis. Hac autem nominis Tui fama sibi hoc decus paratum esse intelligit, ut sua quoque apud exteros fama et gloria, quam magnis quondam rectoribus suis, Gesnero, Ernestio, Fischero, Rostio debet, non modo servetur sed multum etiam augeatur. Harum autem omnium virtutum aliarumque, quas enumerare longum est, cum Tibi magnam gratiam schola Thomana habeat, tum maximam habendam esse intelligit pro iis meritis Tuis, quorum praesentissimum fructum suae saluti maxime conducere videt. Habet enim Te cum in omnibus officiis Tuis strenue obeundis, tum in iis, quae in ipsius regimine et moderamine exerces, ita fidum ac religiosum, ut nihil praetermittas, quo eius saluti consulere, incolumitati prospicere, dignitatem tueri et augere possis. Debet Tibi rerum suarum conditiones internas externasque multis modis emendatas, debet Tibi maiorem auctoritatem et fidem publicam, debet magnam gratiam apud cives Lipsienses et apud exteros, debet patronorum, quorum curae ipsa demandata est, favorem praecipuum, debet

discipulorum numerum ac frequentiam, quantam nunquam ante vidit. Hos autem discipulos Tuos ut exemplo Tuo ad morum probitatem studiorumque honestatem invitas atque per disciplinam severitate ac lenitate sapienter temperatam ad animi probitatem vitaeque humanitatem informas, ita doctrinae copia et elegantia ad literarum amorem concitas, egregia docendi arte et alacritate ad eruditionem doctrinamque instituis, admirabili disserendi facilitate ac simplicitate difficillima quaeque captui eorum accommodas. Tum vero praeclaris animi virtutibus, maxime honestate, clementia, benevolentia, humanitate, omnes capis et discipulorum pariter atque collegarum Tuorum amorem ita Tibi concilias, ut illi Te diligant ac venerentur, hi bene Tibi cupiant, intimo amoris amicitiaeque vinculo Tecum coniuncti sint, nihil sibi obtigisse iucundius fateantur, quam ut Te utantur rationum suarum custode, studiorum rectore, consiliorum moderatore. Haec talia et alia igitur cum Schola Thomana cum maximo gaudio suo in Te admiranda habeat, optimo sane iure suo hunc hodiernum diem sibi celebrandum sumsit et suam laetitiam gloriamque palam testificatura, nobis imposuit, ut et suo et nostro nomine Tibi gratias ageremus maximas. Cuius quidem voluntati ita lubentissime satisfecimus, ut ipsi quoque summo trahebamur laeti gratique animi desiderio, qui hodierno die

gratulabundi Te consalutaremus, intimos pectoris sensus aperiremus, una cum discipulis pro salute Tua et incolumitate pia vota faceremus. Verumtamen quantum cum scholae auctoritate convenit virtutes et merita Tua publice laudare et praedicare, tantum nos decet tacite ea admirari, suspicere, venerari, ne publica professione et Tuae et nostrae verecundiae officere videamur. Verecundabamur igitur chartis mandare, quae Tibi hodie precanda, gratulanda, vovenda habebamus, eaque intra scholae parietes festo nostrorum ipsorum et discipulorum coetu et concione coram eloqui consentaneum esse duximus. Sed ut communis nostrae laetitiae publicum documentum adesset, hunc libellum non minus gratulandi causa scripsimus, quam ut simul leve munusculum literarium afferremus, quo huius diei memoria servaretur et foras proferretur. Si quae vero Tibi etiam hoc loco imprecanda et bonis votis optanda habemus; ea a faustissima huius diei felicitate repetimus, quam in maximis gaudii nostri momentis numeramus. Vix enim ulla re magis gaudemus, quam quod hunc diem ita aetate ac sanitate florens, corporis mentisque viribus vigens vidisti, ut inde spem capiamus certissimam, fore, ut per multos annos incolumis serveris atque ad seram senectutem superstes sis. Quod quidem ut nobis, qui Tui successorem volumus videre neminem, exoptatissimum est,

ita scholae saluberrimum fore certo scimus, atque ex iis, quae hucusque de ea promeruisti, tam confidenter persuasum habemus, ut haec maxima vota Ovidii verbis nuncupemus:

Di Tibi dent annos: a Te nam cetera sumes;
Sint modo fortunae tempora longa Tuae!

Hos igitur annos ut Deus Optimus Maximus Tibi concedere Teque quam diutissime salvum ac superstitem esse velit, ardentissimis nos precibus cum rogamus et supplicamus. Faxit hoc deus pro summa sua benignitate! His votis Te salvere iubemus

M. Ioan. Christian. Iahn.
Mauritius Hauptmann.
M. Carol. Henric. Adelbert. Lipsius.
M. Ioan. Christoph. Hohlfeld.
M. Georg. Aenoth. Koch.
M. Frideric. Theoph. Guenther.
M. Aug. Christ. Adolph. Zestermann.
M. Car. Henric. Brenner.
M. Car. Ferdin. Haltaus.
M. Car. Godofred. Iacobitz.
Ioan. Domin. Vitale.
Car. Frider. Zoellner.
M. Gustav. Eduard. Muehlmann.

Circumspicienti mihi argumentum, mi Stallbaumi, de quo inter haec laetissima sollemnia Tua ad Te scriberem, prae ceteris idoneum visum est primum Horatii carmen, de cuius verbis et argumento disputarem. Cuius consilii causam praecipuam in ipso Horatio habui, in quo communia nostra antiquitatis studia maxime inter se contingunt et qui Tibi non minus quam mihi in deliciis est. Tum vero in primo eius carmine disserendi materia oblata est, quam mihi ad tractandum accommodatam, Tibi cognitu haud iniucundam fore sentiebam. Nosti enim in hoc carmine explicando illustrandoque cum superiore saeculo, tum maxime nostra memoria tantopere viguisse doctorum hominum diligentiam et industriam, ut certatim de eo scriberent, omnes paene commentandi locos excuterent atque profundam cumulatamque omnis scientiae doctrinaeque copiam ad eius explicationem conferrent. Neque quisquam infitiabitur, multum lucis hoc studiorum certamine et ardore ad meliorem carminis intelligentiam allatum esse. At vero supersunt etiam plura, quae non modo parum intellecta sint, sed in quibus cumulata ista doctorum opera plus obscuritatis quam lucis paratum esse videatur. Neque eius rei causam in carminis difficultate et obscuritate quaerendam esse censeo, sed iniiciendam illam interpretum culpae. Quod quamquam non ita dictum esse velim, quasi eos carminis explanationi impares fuisse credam; — fuerunt enim inter eos, qui principes philologorum habentur; — veram tamen explicandi viam ac rationem

ab iis nonnunquam subversam esse dico, quoniam illi a simplici et sobria interpretatione ad artificiosam et contortam deflexerunt, eoque aut sanam sibi mentis aciem obcoecaverunt aut prae nimio illustrandi studio ad hallucinationes delapsi sunt. Verum enim multo magis, quam haec praepostera interpretum subtilitas illud perniciosum fuit, quod bis terque summi et praestantissimi interpretes, qui huic carmini operam navarunt, praeproperas opiniones cupide arripuerunt atque ingeniosa subtilique argumentandi probandique ratione ita commendarunt, ut ceteris imponerent adeoque eos, qui adversari audebant, in errores inducerent. Cuius rei duo in hoc carmine exempla sunt maxime memorabilia, alterum Bentleii, alterum Fr. Aug. Wolfii. Ille enim cum vs. 3. sqq. verborum *iuvat* et *evehit* vim ac potestatem parum perspexisset versuque 6. *evehere ad deos* correxisset, eius coniecturae veritatem paucis quidem persuasit et multos provocavit, qui eam argumentis undequaque quaesitis impugnarent, sed totius sententiae obscuritatem sparsit, qua etiam adversarii capti sunt et quae etiamnum manet. Wolfius autem, qui anno huius saeculi septimo et decimo in *Analectt. liter.* vol. II. p. 262. sqq. novi erroris auctor fuit, multo gravius carmini detrimentum intulit. Leve fuit, quod versu 29. voc. *me* in *te* mutaverat eiusque opinionis multos assentatores invenerat, sed illud magnum est, quod ceterorum mentes in argumento consilioque carminis recte perspiciendo ita turbavit, ut ne adversarii quidem, quamvis plus decem annis de ea re disceptarent, hoc damnum resarcirent. Rem autem magis perturbavit Abr. Eichstadius, qui in *Indice lectt. univ. Ienens. hiem. a.* 1817. [repetito in *Seebodii Biblioth. crit.* a. 1822. fasc. 12.], Ilgenii, Grotefendi et Penzelii exemplum secutus, carminis versum 35. spurium esse dixit. Contradicebat Wolfius, contradicebant alii, versuque eiecto totius carminis interpretationem in

discrimen vocari docebant. Eichstadius nihil ad haec. Sententiam proiecisse videbatur. Sed post diuturnum silentium anno 1834. in *Paradox. Horat.* spec. IV. eam quasi iam obliteratam retraxit, eiusque stabiliendae gratia Horatium in hoc carmine nescio qua loquendi *εἰρωνείᾳ* diversorum hominum studia facete perstrinxisse finxit. Quo commento novo quantum totius carminis naturam ingeniumque perverterit, Te quidem, mi Stallbaumi, qui vim et naturam *εἰρωνείας* ex Platone Tuo penitus cognovisti, fugere non potuit; sed fugit alios, inter quos adeo Orellium et Luebkerum. Vides, quo res devenerit. Sed vide etiam, ne Tibi importunum sit, quod iste error eodem illo anno, quo Tu apud Halenses munere scholastico fungi coepisti, natus subinde cum annis vitae scholasticae Tuae succrevit et iam suppari aetate adultus est. Hoc certe spero, Te aequi bonique facturum esse, si in hoc libello eius refellendi periculum fecero. In qua re, ne illa retractare videar, quae iam olim in *Annalibus philol. et paedag.* a. 1827. vol. IV. p. 282. sqq. contra Wolfium et Eichstadium disputavi, ita disserere placet, ut succincta verborum explicatione argumentique expositione consilium ac rationem carminis describam et, quantum in me est, veram eius interpretationem ostendam.

Primum hoc Horatii carmen praefationis loco scriptum esse, cum poeta priorem partem poematum lyricorum, quae antea singula foras dedisse videtur, in unum collectam emitteret Sosiisque traderet, cum argumentum eius docet tum consentiens est doctorum hominum opinio, neque ab ea discedunt, quicunque magna adhuc controversia disputant, utrum illo tempore duo an tres priores odarum libri editi fuerint atque primum carmen anno 730. an 736. p. u. c. compositum sit. Nec minus constat, poetam hoc carmen Maecenati inscripsisse, ut sua illi poemata lyrica commendaret suumque poesis studium excusaret. Vide-

mus enim exponentem de variis diversorum hominum studiis, quibus illi voluptatis delectationisque causa obsecuti sunt, iisque postremo suum studium aequiparantem. Neque enumeravit studia eiusmodi, ad quae leves inconstantesque homines subita animi libidine et ferebantur et abducebantur, sed quibus qui sese dederant, longo perpetuoque amore tenebantur neque ulla conditione ad aliam vitae sortem se traduci patiebantur. Nec minus commemoravit ea tantummodo studia, quae tum ad honestam vitam pertinere ingenuosque homines decere existimabantur, neque ad vilem sordidamque illiberalium hominum conditionem delapsus est. Denique singula studiorum exempla ita descripsit verbisque expressit, ut ea a sensibus oculorumque perceptione non avocaret, aut generali quadam explicatione de gloriae, honorum, divitiarum, mediocris vitae, lucri, mollis inertiae duraeque laboriositatis cupidine ac dulcedine exponeret, sed ut vividas perspicuasque hominum talibus studiis accensorum imagines delinearet ipsumque quasi agendi modum oculis obiiceret. Quod quam prudenter et secundum veram poesis vim ac pulchritudinem fecerit, recte nos admonuit Nic. Mohrus in *Comment. philol. de nonnullis locis Horatianis,* quam Dorpati Livonorum a. 1832. edidit, p. 7. sq. Novem praeterea talium hominum imagines poeta proposuit, siquidem ipsum in ratione ducimus, eoque numero numerum novem Musarum, quibus se dederat, fortasse aequare voluit: quod eorum causa commemoramus, quibus nimis longa diversorum studiorum enumeratio aliquid molesti habere visa est. v. Godofr. Hermanni *dissert. de primo carm. Horatii* [Lips. 1842.] p. 7. Atque haec novem exempla rursus divisit in tria genera numero aequalia. Primum proposuit trina exempla hominum nobilium opulentorumque, qui in studiis suis altum, quo nati erant, ordinis dignitatisque locum tenere atque a popularibus magni aestimari cupiebant. Tum descendit ad mediocrem vitae sortem eorum, qui aut priscum avorum

morem secuti paterna rura incolebant, aut mercaturam exercebant, quod honestum hominum mediae sortis negotium apud Romanos habebatur, aut procul a luce publica nec ullo ordinis sui officio obstricti molli inertiae se dabant. Postremo studium eorum, qui aut militiam aut venationem sequebantur, addidit suoque exemplo ternarium numerum implevit. Solebant haec studia illo tempore non certo cuidam hominum ordini adscribi, sed iis placebant, qui et honestum negotium quaererent et inter populares quadamtenus inclarescere vellent. Ceterum omnia illa diversorum studiorum exempla ex Romanorum vita et consuetudine petita sunt, quod profecto consentaneum erat, cum suum studium illis aequipararet. Si quis enim suam voluptatem voluptatibus aliorum excusare vult, eum exempla ita colligere oportet, ut suam vivendi aut consuetudinem aut conditionem non excesserit. Itaque Horatio sua studia alio modo excusare non licuit, nisi ut aut similia poetarum vel doctorum hominum exempla ostenderet aut ad popularium mores provocaret. Atque cum posterius delegisset, Romanorum exempla eo minus derelinquere potuit, quo magis Romani suis tantum moribus plaudebant neque facile ad externorum consuetudinem suam vitam conformabant.

Sentio me in ea re contradicere sententiae plurimorum interpretum, qui quamquam cetera exempla e Romanorum vita sumta esse concedunt, Olympionicas tamen, qui primo loco commemorantur, ad Graecos referunt. Credunt enim ludos Olympios etiam Horatii aetate a solis Graecis gentibusque cognatis celebratos, neque vero a Romanis, qui Graecos mores despexissent, frequentatos esse. Atque plerique in ea sententia tanta cum securitate acquieverunt, ut ne animadvertisse quidem videantur, quanta fuerit Horatii inscitia et insulsitas, siquidem suam diversorum studiorum descriptionem a Graeco exemplo inchoavit. Ceteri autem, qui ad eam rem attenderunt, parum recte id excusare studuerunt. Atque Wissius quidem in *Quaestionn. Horat. libello* VI.

[Rintelii 1836.] p. 21. ad aliam poetae fatuitatem delapsus haec annotavit: 'Flaccus Graecorum poetarum lectione nutritus, in carminibus Graecas imagines ubique usurpat, neque citra mare se continet, utque poetae uno obtutu coelum et terram, Deos et homines, praeterita praesentia et futura comprehendere solent, ita noster etiam in hoc carmine lectores modo Romam, modo in Africam, modo Cyprum, modo in Asiam abripit, nec ullibi fabulas agit mere togatas.' Alii poetam *συνεκδοχικῶς* ludos Olympios ita nominasse putarunt, ut cum omnes Graecorum ludos tum Circenses Romanorum eo nomine comprehenderet atque generali quadam imagine omnes, quicunque in ludis publicis victoriae palmam quaerebant, significaret. Unde Mohrus l. c. p. 7. 'Horatium ait praecipua singulorum hominum studia delineasse, nulla habita ratione, utrum Graeci an Romani an ex alio populo essent.' Quin adeo fuerunt, qui eam interpretationem voc. *palmae* confirmare vellent. Cum enim in ludis Olympiis corona oleaginea victoribus daretur atque palma in ludis Romanorum usitatum esset praemium, Horatium *palmae* vocabulo ideo usum esse crediderunt, ut Romanos commonefaceret, se ludorum Olympiorum nomine simul Romanos ludos amplexum esse. Merito has ineptias Mitscherlichius aliique reiecerunt atque praecipuum, quo ludi Olympii apud Graecos habebantur, honorem pro argumento sumserunt, quo Graecorum exemplum in hoc Horatii loco stabilirent. Cum enim victoria Olympica tanti aestimaretur, ut Olympionicen esse esset apud Graecos prope maius et gloriosius, quam Romae triumphasse, (teste Cicerone pro Flacco c. 13.), et cum victores isti *ἰσόθεοι* haberentur atque totius gentis laudibus efferentur: poetam, qui similem et aeque magnificum Romanorum ludum non inveniret, quasi necessitate coactum esse statuerunt, ut illustrissimo ludorum Olympiorum exemplo ostenderet, quantam felicitatem ludorum publicorum studiosi consequi

possent. Scilicet in eo argumento hoc unum praetermiserunt, quod Romani, si Graecorum ludos non adierunt nec suis ludis tantam laudem adepti sunt, neque sentiebant illam voluptatem neque tanto ludorum amore trahebantur, ut poetae hoc studium tanquam illustrissimum argumenti sui exemplum in principio carminis ponere liceret. Quod cum bene intellexisset Hoffman-Peerlkampius neque aliam inveniret Graecorum hominum excusationem, itemque pro Graecorum ludis potius Romanorum triumphos poetae commemorandos fuisse censeret, versus 3—5. pro spuriis habuit carminisque exordium ita conformavit:

Maecenas, atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum,
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus,
Terrarum dominos evehere ad deos.

Qua quidem emendatione Charybdim vitaturus in Scyllam incidit, atque pro sententia insulsa verborum peccatum substituit. Neque enim poetae licuit, ut in tali exemplorum recensu ab initio primam subiectivamque orationis partem aut pronomine demonstrativo aut voce singularis numeri significaret. Quaecunque per genera sua recensentur, ea et numero et loco indefinita sunt, unde in iis enumerandis opus est et vocibus indefinitis, veluti *sunt qui, quidam, alii* etc., et plurali vocum numero. Neque usquam Romani ab eo sermonis usu discesserunt, nisi ubi in plurium exemplorum recensu, postquam primo loco indefinitam vocem sive pluralis numeri sive collectivam scripserunt, subinde ad singularem numerum descendunt et pro pronominibus partitivis pronomina demonstrativa *hic* et *ille* usurpant. Cf. Od. I, 7. Satir. 1, 2, 28. sqq. 4, 25. sqq., Epist. I, 1, 77. sqq.

Sed ad inceptum redeo iterumque contendo Horatium etiam in primo exemplo Romanos homines significasse. Etenim iam Ciceronis

aetate usu invaluerat, ut nobiles Romani publicos Graecorum ludos adirent ibique cursu certarent. Ad quam rem probandam si non sufficere videtur Virgilii Georg. III, 49. et Propertii III, 9, 17. testimonium, quorum alter Italis hominibus commendavit, ut equos in usum ludorum Olympiorum alerent, alter Romanos Eleae quadrigae palmam sectatos commemoravit; certe persuadebit Cicero, qui Tusc. Quaestt. II, 17, 41. in mediis Romanorum hominum exemplis scripsit: *Sed quid hos, quibus Olympiorum victoria consulatus ille antiquus videtur,* neque ibi alium quemquam nisi Romanos significasse potest. Quid, quod Horatius ipse testimonio est, qui profecto in nullo illius temporis populo, nisi in Romano, *terrarum dominos* esse credidit. Etenim quam vulgo illis verbis inesse statuunt sententiam : 'Sunt quos Olympiae pulverem collegisse metamque evitasse iuvat et palma nobilis, victoria reportata, eos evehit ad deos, qui terrarum domini sunt,' ea neque cum ratione grammatica, neque cum Romanorum cogitationibus, neque cum Horatii consilio convenit. Frequens est apud poetas Romanos ea structurae verborum inversio, ut, quae appositionis loco addita sunt, vocem suam non sequantur sed praecedant; atque si Horatius scripsisset: *Palmaque nobilis terrarum dominis aequiparat diis,* lubenter ferrem istam interpretationem. Sed quum praepositionem *ad* voci *deos* addidisset, verborum inversio, siquidem verba *terrarum dominos* ad *deos* referuntur, non alio modo fieri potuit, quam ut praepositio *ad* cum verbis *terrarum dominos* coniungeretur scribereturque *palmaque nobilis ad terrarum dominos* [vel *terrarum ad dominos] evehit ad deos.* Tum vero ea opinio, ut dii superi terrarum domini appellentur, a popularibus Romanorum cogitationibus aliena est. Iupiter fuit coeli terraeque dominus, non item ceteri dii, quibus satis erat, ut singulis terris praesiderent. Provocant interpretes ac locum Ovidii Epist. ex Ponto I, 9, 36. *Terrarum dominos*

quam colis ipse deos. Sed ibi Augustus et Tiberius *dii* appellantur, qui sane fuerunt *terrarum domini.* Et si concedere velimus, etiam *deos superos* appellari potuisse *terrarum dominos*, certe Horatium eos sic appellare non decuit. Agit enim de victoribus Olympicis, qui sua sibi victoria summam vitae beatitudinem paravisse videntur seque diis *beatis*, neque vero diis *potentibus* aequiparant. En igitur causas satis, opinor, graves, quibus commovear, ut cum Fr. Iacobsio in *Opusculis var. argum.* vol. V. p. 372. et H. E. Kaisero in *Adnotatt. ad quosdam Hor. locos* spec. I. [Lauban. 1830.] p. 4. ad Galiani sententiam redeam verborumque ordinem in vs. 6. esse dicam: *et quos, terrarum dominos, palma nobilis ad deos evehit.* Iacobsius haec vertit: *und sie, die Herren der Erde, hebt die Siegespalme zu den Göttern empor.* Iam vero si quaeris, qui sint isti terrarum domini, eos Graecos non esse in promtu est respondere. Quidquid enim provocant ad nobiles ac potentes eius gentis homines, adeoque ad regulos ac tetrarchas Asiae, quorum unus et alter Graeca stirpe fuit: tantum tamen abest, ut Augusti aetate isti homines, quorum ipsi potentissimi a Romanis *Graeculorum* nomine insigniri solebant, *terrarum domini* aut ab aliis appellati aut sibi esse visi sint, ut ne florentissimis quidem Graeciae temporibus tale cognomen sibi arrogaverint. At vero proprium hoc fuit Romanorum nomen, qui et totum terrarum orbem suo imperio teneri gloriabantur et se ipsos rerum terrarumque dominos appellabant. v. Cicer. Phil. III, 35. Sallust. Iug. 31, 20. Virg. Aen. I, 282. Quamvis enim illo tempore unus Augustus imperium Romanum teneret, tamen nobiles Romani eius adhuc ita participes esse videbantur, ut nemo iis superbum illud nomen derogaret. Venuste igitur Horatius eo nomine usus, haec fere dixit: 'Sunt inter nobiles Romanos quos iuvat in ludis Olympiis victoriam quaerere et quos, cum iam sint terrarum domini, ea

victoria ad beatam deorum sortem evehere videtur.' Atque illi nobiles Romani recte quoque pulverem Olympicum collegisse domumque ab externa terra reportasse dicuntur, cum Graeci homines potius Olympium pulverem colligerent. vid. quae annotavi ad Virg. Aen. I, 119. Quodsi vero Horatium terrarum dominis Romanos significasse recte statuimus, perspicua est etiam ceterorum, de quibus interpretes verss. 3 - 6. dissentiunt, verborum interpretatio. Nemo enim amplius credet, verbis *pulverem colligere* indicari cursores pedites, qui corpore suo pulverem collegerint, sed de Romanis curru vectis cogitabit, praesertim cum in verbis ipsis nulla insit corporis significatio. *Curriculum* autem ad Romanorum quadrigas, quibus in carceres stadiumque invehebantur, referet, idque et Propertii (III, 9, 17.) *Palma Eleae quadrigae*, et Senecae, Horatianorum verborum imitatoris, loco in Thyeste 409. confirmabit, ubi scriptum legitur: *Celebrata iuveni stadia, per quae nobilem palmam paterno non semel curru tuli.* Etenim Mitscherlichii Wissiique interpretationem, qua *curriculum* de ipso stadio dictum esse sumserunt, Orellius ex usu loquendi recte refutavit, ex quo in tali verborum iunctura aut *in curriculo* aut *curriculo Olympio* scribendum erat. Atque idem loquendi usus auxilio vocandus est contra Freundium Luebkerumque, qui, cum *curriculum* de ipso cursu acciperent et ablativo gerundii, *currendo*, quasi geminum esse putarent, parum curiosi in vocis forma, non satis observasse videntur, quod *curriculum*, ut nomen neutrale, saepenumero de loco currendi temporisque quo curritur spatio, nunquam vero de ipsa currendi actione usurpatum est. Si quis autem est, qui cum Preissio metuat, ne *curriculum*, pro ipso curru, dictum cum *rotis*, quae statim sequuntur, ταὐτολόγον sit, ei considerandam dabo hanc sententiam: *Certant quadrigis in ludis Olympiis et rotis earum metam evitare student.* Tum vero iisdem verbis refellitur

Peerlkampii dubitatio, cui nuper *meta evitata* parum commode dicta esse videbatur pro *meta stricta ac rasa*, quoniam qui metam circumagebant, ita proxime eam circumvecti sint, ut tantum non raderent. Sed quis est, qui *metam evitatam* ex frequenti scriptorum usu pro *meta scite beneque evitata* recte dici ignoret? Denique ad *palmam* revertimur, qua poeta praemium, quod in ludis Graecorum reportabatur, quasi communi diversorum praemiorum appellatione significavit. In qua re non modo secutus est perpetuum poetarum Latinorum usum, qui ubique de Graecorum ludorum palmis loquuntur, sed scite etiam ad gentis Graecae morem respexit, quem Pausanias VIII, 48. his verbis descripsit: *ἐν μὲν Ὀλυμπίᾳ κοτίνου τῷ νικῶντι δίδοται στέφανος, καὶ ἐν Δελφοῖς δάφνης, ἐν Ἰσθμῷ δὲ πίτυς καὶ ἐν Νεμέᾳ σελίνα· οἱ δὲ ἀγῶνες φοίνικος ἔχουσιν οἱ πολλοὶ στέφανον· ἐς δὲ τὴν δεξιάν ἐστι καὶ πανταχοῦ τῷ νικῶντι ἐντιθέμενος φοῖνιξ.* Conf. Pindar. Dithyr. fr. 3. *Ἐν Ἀργείᾳ Νεμέᾳ μάντιν οὐ λανθάνει φοίνικος ἔρνος*, coll. Horat. Od. IV, 2, 17. Postremo ne quid praetermisisse videar, paucis etiam respondendum est ad Peerlkampii quaestionem, quidni Horatius pro ludis Olympiis potius Romanorum triumphum commemoraverit. Nimirum triumphi honor cum iam reipublicae liberae temporibus raro contigisset paucis Romanis, rarior etiam fuit ea, qua hoc carmen scriptum est, aetate, quoniam Augustus et suo arbitrio duces bellorum eligebat et pleraque bella aut ipse aut suis auspiciis gerebat. Horatius vero non loquitur de iis paucorum hominum voluptatibus, quibus semel iterumque singulari quodam fortunae favore fruuntur, sed enumerat exempla delectationum, quae tum a multis hominibus libero perpetuoque studio petebantur.

Quodsi vero poetam prudenti ac sapienti consilio omnia huius carminis exempla e Romanorum vita et consuetudine sumsisse recte demon-

stravimus, consideremus oportet, quibus verbis *delectationem* definiverit, qua illos homines frui dixit. Obscuram esse de hac re interpretum perspicientiam, ex interpretatione verss. 3 — 6. manifesto apparet. Nihil dico de iis, qui cum Rutgersio in *Lectt. Venus.* c. 1. et Kiesslingio in *Commentat. philol. de primo Horatii carmine*, Cizae a. 1823. edita, certaminum Olympiorum descriptionem verbis *sunt quos curriculo pulverem Olympicum collegisse iuvat, metaque fervidis evitata rotis palmaque nobilis*, perfectam esse putaverunt atque, puncto post *nobilis* scripto, verba *terrarum dominos evehit ad deos* ad sequentium verborum comprehensionem retulerunt. Neque moror Bentleii coniecturam: *Sunt quos c. pulverem O. collegisse iuvat metaque f. evitata rotis, palmaque nobilis t. d. evehere ad deos*, aut Oudendorpii correctionem: *palmaque nobilis t. d. si evehit ad deos*, vel Withofii in *Spec. Gunther.* p. 53. inventum: *metaque fervidis si vitata r. palmaque n. t. d. evehit ad deos.* Horum enim errores iam in Annall. philol. et paedag. a 1827. vol. IV. p. 278. sqq. satis discussisse opinor, miror que Lübkerum contra Bentleii coniecturam non aliud argumentum attulisse, quam quo iam antea Becherus in *Observatt. in aliquot Horat. locos* [Liegnitii 1830.] p. 3. usus erat. Sed etiam ceterorum interpretum explicatio mihi non satisfacit, qui quamquam utrumque verbum *iuvat* et *evehit ad deos* ad victorum Olympicorum descriptionem referunt, eam tamen uno verbo *iuvat* plenam et absolutam esse, atque verba *palmaque nobilis evehi ad deos* obiter tantum tanquam rei explicandae exaggerandaeque gratia accedere putant. Etenim *iuvatur opere suo*, qui, dum opus facit, aliquam iucunditatem percipit, idque etiam fieri solet in ea opera, quam brevem et ad tempus alicui rei impendit. Vid. Od. IV, 1, 29. *Me nec femina nec puer iam nec spes animi credula mutui, nec certare iuvat mero, nec vincire novis tempora floribus.* cf. Od. I, 2, 38. 36, 1. III, 19, 18. Sat. I, 4. 24. 77. Epist. I, 14, 35. 16,

10. etc. Neque vero inest in *iuvandi* verbo, quod aut constantem perpetuamque voluptatem aut maius aliquod gaudium significet, quo tamen captos esse credimus, qui a studio suo dimoveri non possunt. Quemadmodum igitur Horatius Od. IV, 12, 28. de re praetereunte dixit: *dulce est desipere in loco*, sed de studio gravi et perpetuo III, 2, 13. *dulce et decorum est pro patria mori*; ita etiam hoc loco eum scribere oportuit: *iucundum et voluptuosum est pulverem Olympicum collegisse* etc. Si quis enim studio quodam maxime tenetur, ei hoc et iucundum est et affert, quod animo satisfaciat, atque utrumque coniunctum demum plenam felicitatem parat. Hoc idem vero, nisi praeiudicata opinione ducimur, verbis poetae inesse intelligimus, qui haec dixit: 'Quibusdam iucundum est si pulverem Olympicum colligunt et metam evitant, tum vero ubi palmam acceperunt, evehuntur ad deos.' Iam vero *ad coelum* et *ad deos tolli* et *evehi* dicebantur, quicunque aut vivi cum diis aequari se putabant aut post mortem divino honore colebantur. Utrisque contigit ut aequationem gratiae, dignitatis et vitae beatae, non ut aequationem potentiae acciperent: quod eorum causa annotamus, qui victores Olympicos ad deorum potentiam evectos esse dixerunt. Praeterea dignitatis aequationem ii tantum acceperunt, quibus deorum veneratio et cultus datus est: quod cum victoribus Olympicis non contingeret, illos sola vitae beatitudine deos aequiparasse perspicuum est. Ceterum ne quis locutionibus *evehere ad deos*, *tollere ad coelum*, *tollere ad astra*, *facere coelestes* et similibus nimium beatitudinis modum gradumque significari credat, animadverti oportet, illa verba perinde atque nostra *sich im Himmel zu sein dünken* apud Romanos ita quotidiana fuisse, ut iis uterentur, quicunque maiore aliquo gaudio commoti erant. vid. Klotz. Vindicc. Horat. c. 2. p. 60. sq. Quotquot igitur Romanos studium suum commovit, ut ludis Graecorum publicis, praesertim Olympiis, interessent, eos Horatius

non alia causa illuc deductos esse ait, quam ut ex ipso cursu iucunditatem, ex victoria animi voluptatem vitaeque beatitatem caperent. Ea vero beatitas non inde parata est, quod isti homines ad praecipuum aliquem honoris ac dignitatis locum inter populares evecti sunt; — quod apud Romanos factum esse nusquam legimus; — sed substitit in sola ludorum victoriaeque recordatione et in ea superbia, qua victores sibi ipsi plaudebant, et gloriabantur, quantum eminerent prae iis, quos victoria superaverant. Facile apparet, inanem hanc superbiam ac levem sui admirationem, qua feruntur eiusmodi homines, qui in concertatione operis sui ceteris superiores fuerunt, non annumerandam esse ei gloriae cupiditati, quam in libidinibus hominum esse videmus atque vitio vertimus. Talem gloriae cupiditatem et ab illorum hominum studio, qui magis ludorum ipsorum amore ferebantur, et a poetae consilio alienam fuisse, acute vidit Mohrus l. c. p. 11. et recte ait: 'Si Horatius, diversa hominum studia recensens, etiam gloriae divitiarumque cupidos enumerasset, profecto se cum illis comparando suspicionem movisset, se quoque vel gloriae honorisque, vel divitiarum cupiditate, non poesis ipsius dulcedine, ad carmina componenda esse allectum.'

Quemadmodum autem in victorum Olympicorum descriptione delectationis notionem mancam imperfectamque esse vidimus, nisi ad operis iucunditatem voluptas eventus accesserit, ita iis hominibus, quorum studia Horatius verss. 7. sq. et 9. sq. commemoravit, eundem delectandi sensum et ambitum tribuendum esse vel inde apparet, quod illi eiusdem generis et loci, h. e. nobiles Romani sunt. Ex verbis hoc non statim elucet, quoniam ita conformata sunt, ut obiter inspicientibus sane dubitatio oriri possit, unde accusativos *hunc* et *illum* aptos esse dicerent. Atque ea dubitatio adeo interpretes occupavit, quorum alii eos accusativos ad verba *iuvat* et *evehit*, alii ad sequens verbum *dimoveas*

retulerunt. Posterius immerito placuerat Scaligero, neque id longa disputatione, quam I. Fr. Roos in *Excursu* ad h. l. Giess. 1783. de ea verborum structura edidit, satis defensum aut Kaiseri (l. c. p. 4.) assensu confirmatum esse dixerim. Dura enim ac paene solocca est enunciati structura: *Hunc*, si ..., *illum*, si ..., *Gaudentem* ... *nunquam dimoveas*, quoniam in tali verborum ordine participium *gaudentem* distributivam vim suam non satis perspicue exserit, sed potius praedicati loco ad pronomen *illum* accedere videtur. Tum vero ipsa sententia ridicula est, poetamque inepte credentem fingit, fieri unquam potuisse, ut nobilissimi opulentissimique Romani ad nautarum sortem se detrudi paterentur. cf. Lambin. ad Lucret. IV, 1162. Altera verborum iungendorum ratio ab interpretibus ita admissa est, ut unus Waddelus, quem nuper Regelius me suasore secutus est, utrumque verbum *iuvat* et *evehit* ad accusativos *hunc* et *illum* referret, pauci eos accusativos ex verbo *evehit*, plerique ex verbo *iuvat* aptos esse putarent. Postremum Dillenburgerus nuper sic confirmare studuit: 'Hi accusativi *hunc* et *illum* apti sunt ex verbo *iuvat*, in qua verborum coniunctione non est quod offendas, quum alterum verbum *evehit* ipsum quasi subiectum sit primario *iuvat*.' Sed omnes tamen interpretes consentire videntur, ad accusativos *hunc* et *illum* necessario *delectandi* notionem supplendam esse, neque facile obloquentur, si idoneam delectionis significationem in his verbis non aliam esse contendero, nisi hanc: '*Iuvat et beatum reddit hunc*, si maximis honoribus tollitur, *illum*, si omnium Africae frugum est dominus.' Ea vero verborum sententia necessario flagitat, ut ex antecedentibus utraque locutio *iuvat* et *evehit ad deos* repetatur. Scilicet iucundum fuit nobilibus Romanis, ventosae plebis inconstantiam et arbitrium popularis aurae devincire, ne in magistratibus petendis repulsam ferrent; certatim autem creari, hoc maxime voluptuosum fuit. Unde facile

intelligimus, duplicem illorum verborum notionem requiri, ut plena oriatur rei descriptio. Ceterum *tergeminos honores* non generatim et indefinite de cuiusvis generis honoribus amplissimis, quibus populi favor nobiles Romanos decoraverit, sed speciatim de tribus maximis Romanorum magistratibus, aedilitate curuli, praetura et consulatu, intelligendos esse, cum Orellius ad h. l. docuit, tum ego in *Novis Annall. phil. et paed.* vol. XLII. p. 277. sq. ex ipsa vocis *tergeminorum* vi ac potestate demonstrare studui. Neque vacat nunc pluribus examinare Luebkeri aliorumque opinionem, qui *tollere honoribus* tertio casu pro *tollere ad honores* dictum esse statuerunt, praesertim cum hoc luculenter refutaverit et vulgarem ablativi usum, quam in locutione *tollere honoribus* agnoscimus, satis vindicaverit Herzogius in *Observatt.* part. XV., quam Gerae a. 1843. edidit. Hoc vero cavendum esse dico, ne quis *tergeminis honoribus* quoddam potentiae studium, quod nobiles Romani sectati sint, significari credat. Talem enim potentiae cupiditatem illo tempore, cum omnis imperii potestas penes Augustum erat, istis magistratibus expleri non licebat; et si licuisset, ea aliena erat ab Horatii consilio. Idem vero consilium facit, ut etiam in proximis verbis caveamus, ne latifundiorum possessorem lucri et divitiarum cupidine ductum esse existimemus. Quanquam enim ibi in verbis *proprio condidit horreo, quicquid de Libycis verritur areis,* habendi cupiditas satis aperte indicatur [v. Wiss. l. c. p. 22.]; neutiquam tamen ea ad lucri cupiditatem referatur licitum est. Omnes homines, quorum delectationes in hoc carmine enumerantur, studia sua ita egisse videntur, ut primum in ipso opere iucunditatem aliquam caperent, tum vero ad summam voluptatem se pervenire opinarentur, siquidem studii eventu ceteros sui generis homines antecederent ac superarent. Laudis igitur et gloriae amore omnes ferebantur. Ludorum publicorum studiosi cum ceteris commune habebant, ut curriculo certa-

rent, sed eminebant victoria. Magistratuum candidatis multi fuerunt competitores, quibus ventosa plebs facile faveret; sed beati facti sunt ea gloriae felicitate, ut prae ceteris certatim tergeminis honoribus tollerentur. Simili modo latifundiorum possessor non lucri causa magno amplissimorum fertilissimorumque, quales Libyci erant, agrorum proventu gavisus, sed eam gloriam sectatus est, ut messis abundantia frugumque multitudine ceteros anteiret. Itaque non modo frumenta triturata ac purgata collegit, sed corrasit, quidquid de areis verrebatur. Idem, ne forte magnus acervus minueretur aut cellae minus sufficere viderentur, nihil alienavit, quod fortasse lucri cupidus fecisset, sed omnia proprio horreo condidit. Quod si tenemus, facile apparet, quam eleganter poeta et *proprium* horreum pro *suo* dixerit et singularem *horrei* numerum pro plurali usurpaverit. cf. Luebker. p. 17.

In sequentibus versibus, ubi hominum minoris sortis imagines depinguntur, delectationis notio subinde imminuta est, iique suis studiis tantummodo *gaudere, non dimoveri, non spernere,* denique *iuvari* dicuntur. Tantum autem abest, ut in ea notionis extenuatione Horatius quidquam dispendii fecerit, — plena enim et iusta delectationis cogitatio lectoribus ex antecedentibus verbis obversatur, — ut praeclara arte et elegantia verba minora minoribus istorum hominum voluptatibus accommodaverit. Iam vero in pictura rustici, qui paterno agro contentus beatusque vixit, verba *findere saeculo agros* in causa fuerunt, ut Fea et Eichstadius de agro aspero parumque fertili, qui aratrum non ferret [coll. Appuleio Florid. 2. n. 15.] cogitarent durique laboris aerumnas significari crederent. Finxerunt igitur hominem, qui, si mente captus non fuit, profecto sine Attalicis conditionibus (de quarum vi ac significatione Manso in sua *de Attalis* narratione post *vitam Constantini M. p.* 381. accurate exposuit) ad aliam vitae sortem facile

traductus esset. Sed Horatius delineavit imaginem eius hominis, qui cum paterno rure gauderet, etiam more maiorum pristina agriculturae instrumenta retinuit. v. Virgil. Georg. I, 155. Voss. ad Georg. I, 94. et Luebker. ad h. l. p. 18. Itaque eandem priscae gentis simplicitatem amavit, quam illi amabant, quibus paternum splenduit in mensa tenui salinum, v. Od. II, 16. 13. cf. Epod. 2, 1. sqq. Neque solum sua sorte ille gavisus est, sed etiam, qui horum hominum simplicium imperitorumque mos esse solet, pavit aliud vitae negotium sequi. Hanc enim imaginis cogitationem poeta tecte suscitavit verbis: *nunquam dimoveas, ut mare* p a v i d u s *nauta secet*, in quibus P e e r l k a m p i u s parum considerate *impavidus*, neque rectius cum aliis *demoveas* scripsit. *Demoventur*, qui a suo studio ad aliud traducuntur, *dimoventur*, qui solummodo a suo studio abducuntur et abalienantur, neque vero ad aliud deveniunt. v. quae annotavi *ad Virg. Georg.* II, 8. et quae docte de horum verborum discrimine disseruerunt D i l l e n b u r g e r. in *Quaestionn. Horat.* part. I. [Coloniae Agripp. 1838.] p. 1. sqq. et H e r m. S c h m i d t in *Disputat. de verborum* d e m o v e r e *et* d i m o v e r e *discrimine.* [Vitebergae 1844.] Atque rusticus ille tantum abfuit ut ad aliud negotium deferretur, ut ne paullisper quidem a suo abalienaretur. — Mercatorem Horatius verss. 15. sqq. ea gloriae cupiditate incensum fuisse declaravit, ut divitibus annumeraretur eoque nomine in ore populi ferretur. Ob eam causam igitur indocilis fuit honestam paupertatem pati, et quamvis eam optaret, si quando in mari tempestatibus iactaretur, mox tamen ad mercaturae commercium reversus est. Obiter addo, *oppidi rura* a Bentleio parum recte in *oppidi tuta* mutata esse. Non perspexit ille, ea *rura* significare hoc, quo mercator domi honestam paupertatem degere potuisset, ideoque ad iustam imaginis illustrationem necessaria esse: quod non cadit in *oppidi tuta*, ad quae confugiunt, qui se ab

hostibus tutantur, non, qui inopiam effugere volunt. Quae poeta deinceps de homine mollis inertiae luxuriaeque studioso, itemque de milite ac venatore scripsit, in iis ab interpretum explicatione non discedo, neque opus habere videor, ut delectationis modum, quo illi fruebantur, pluribus illustrem. Sed multum obscuratam turbatamque esse video versuum 29. sqq. interpretationem, in quibus totius carminis cardo vertitur. Cuius rei causa in eo esse videtur, quod interpretes versus 29. et 31. parum recte perspexerunt et locutionem *misceri diis* cum significatione verborum *evehi ad deos* congruere putaverunt. Quamquam enim non omnes Peerlkampio assentabuntur, verba sic interpretanti: 'Hederae me diis miscent, faciunt deum'; plurimi tamen in eo, quod poeta se *diis superis misceri* dixit, significationem magnae cuiusdam voluptatis ac felicitatis inesse credunt. Ita vero necessario sequitur totius loci conturbatio. Etenim si poeta iam in primis verbis, quibus suum studium describit, se deorum coelestium felicitate frui dixit, profecto versu 31. inepte suam studii voluptatem voluptatibus Nympharum Satyrorumque aequiparat et prorsus insulse in versu 36. addit, talem esse suae felicitatis gradum, ut vertice coelum tangat. Nimirum insanus iste est, qui versu 29. iam in ipso coelo versatur, versu 36. coelum tantum attingit. Ea vero sententiae perversitas si removeri non potest, necessario flagitat, ut cum Peerlkampio versum 30. eiiciamus, nec minus fortasse versum 35. spurium esse existimemus. Veruntamen lenior adesse videtur loci medela, et ea paranda quidem tali verborum interpretatione, qualem recta sermonis latini consuetudo unice ferre videtur. Ubicunque poetae apud Romanos *diis mixti* aut apud Graecos *θεοῖς μεμιγμένοι* dicuntur, non talis significatur eorum conditio et status, ut in coelum evecti atque beatae deorum sortis participes esse credantur. Imo *miscentur diis*, si spiritu poetico correpti et quasi

deorum vi concitati impletique ad carmina facienda se accingunt, neque in eo statu aliud est eorum cum diis commercium, quam quod ab illis tacti in eorum vicinitate versari videntur. Quod si verum est, Horatius in versu 29. sq. non suam vitae coelestis felicitatem significavit, sed simpliciter dixit, se diis vicinum esse, quando carmina faciat. Atque ea interpratatio confirmatur verbis *hederae doctarum praemia frontium*. Etenim hedera poetae caput cingebant, quotiescunque carmina canebant, eaque corona hederacea quasi externum signum erat, quo se divino spiritu inflatos ostenderent et ab ἀμούσοις atque idiotis distinguerentur. Inde apud Ovidium Fast. V, 79. ipsa Calliope canens *hedera cincta* est, atque apud Virgil. Ecl. 7, 28. *surgens poeta hedera ornatur.* Si vero apud Horatium Epist. I, 3, 25. ea *hedera victrix* appellatur; hoc nomine nihil aliud significatur, quam poetam vicisse humanae sortis sensum obtusum, atque ἐνθουσιασμῷ ultra ceteros homines excessisse. Verissime igitur Luebkerus p. 28.' hederas, ait, poeta accipit ob furorem poeticum, non, ut perfecti absolutique operis praemium sint victoriaeque de ceteris poetis reportatae ornamentum'. Neque in versu 31., ubi Horatius cum Nymphis Satyrisque se versari dicit, ulla inest notatio felicitatis, quam cum Nymphis Satyrisque communem habuerit. Sed quemadmodum ille inter deos superos est, ubi carmina ad illos pertinentia canit, ita in Nympharum Satyrorumque canendorum opere cum his commercium habet iisque mixtus est. Iam vero carmina, quae deos superos deceant et in eorum vicinia a poeta rite cani possint, sunt gravia ac severa, levia autem ac ludicra, quae ad Nymphos Satyrosque pertineant. Poeta igitur in verss. 29. — 32. nihil dixit, nisi hoc: 'Ego modo carmina severa, modo ludrica pango', eaque sententia duplex carminum lyricorum genus indicavit, quod in eo, quem Maecenati tradidit, libro collectum erat. Eleganter autem eam carminum diversitatem et quasi duplex eorum pangendorum negotium verbis ita expressit, ut pronomen *me* geminaret. Cf. od. I, 31, 15. *Me* (modo) *pascunt olivae, me* (modo) *cichoreae levesque malvae.* Denique duplici carminum generi respondent verba: *si neque tibias Euterpe cohibet, nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton*, quoniam Polyhymnia barbito gravia carmina, levia Euterpe tibiis canere credebatur. Itaque totius loci sententia est: 'Me modo severorum carminum studium ad deos superos avocat, modo ludicrorum compositio in nemus ad Nymphas Satyrosque ducit, et sequor alterutrum studium, prout aut Polyhymnia aut Euterpe mihi favet.' Ex his autem sequitur, neque significatum locutionum *diis misceri* et *ad deos evehi* cognatum esse aut *hederarum praemio* idem victoriae signum indicari, quod in *palma nobili* inest, neque omnino poetam in versibus 29. — 34. quidquam dixisse, quo magnam studii sui felicitatem voluptatemque declaraverit. Simpliciter dixit: 'Iuvat me, Musis faventibus, modo gravia modo levia carmina facere.' Respondent igitur hi versus verbis: *Sunt quos curriculo pulverem Olympicum collegisse iuvat metaque fervidis evitata rotis*, atque primam delectationis partem, quae in iucunditate operis est, describunt. Altera pars delectationis, quam in prosperi eventus felicitate posuimus, sequitur vers. 36. verbis: *Sublimi feriam sidera vertice.* Haec igitur respondent verbis *palmaque nobilis evehit ad deos.* Huius felicitatis auctorem esse voluit Maecenatem, cui carmina sua dedicaverat. Se poetam esse, hoc sibi ipse sumsit, sed an vates esset, h. e. verus poeta divini spiritus plenus, eius rei iudicium penes Maecenatem esse ait.

Ita vero versuum 29. — 36. interpretatio parata esse videtur, qua et tota eorum sententia recte procedat, et totius carminis argumentum apte per partes suas descendat et necessaria consecutione conficiatur. Poeta enim suum poesis studium ita excusat et Maecenati commendat:

'Quemadmodum multos alios sua studia ita sequi vides, ut sibi et iucunda sint et summam felicitatem afferant; ita me quoque iuvat, Musis faventibus, carmina modo severa, modo ludrica facere: quae quidem carmina si te iudice me dignum facient, ut veris poetis annumerer, iis etiam summam vitae felicitatem nactus esse mihi videbor. Facile apparet, poetam hac argumenti descriptione suo consilio ita satisfecisse, ut cum studii sui iucunditate vitae beatitudinem coniunctam esse recte significaret, et magna cum modestia eam beatitudinem non sibi ipse arrogaret sed per Maecenatem, patronum ac fautorem suum, consequi cuperet. In qua re ut consentaneum fuit, ut neque hoc poesis studium magnifice laudaret neque carminum suorum praestantiam praedicaret, sed simplici et ingenua mentis declaratione se carminum faciendorum voluptate mirifice trahi neque ab ea dimoveri posse fateretur; ita maxime a consilio suo abhorruit, ut eam voluptatem vel lenissima εἰρωνείᾳ irrideret et ad ineptiarum studium detruderet. Quamvis enim festivo orationis colore ac tenore rectissime usus sit, necessario tamen a ioco se abstinere debuit, ne cum aliorum tum suam voluptatem vilipenderet, sed talem esse ostenderet, e qua maxima vitae felicitas hauriri posset. Neque minus consentaneum fuit, ut ad Maecenatem, qui in principio carminis blanda allocutione appellatus est, in extrema eius parte oratio reverteretur. Hoc vero ita planum et perspicuum est, ut ob hanc unam causam versus 35. necessario retinendus sit. Quod quo minus pluribus demonstrem aliisque argumentis, eum versum genuinum esse, ostendam, facile me prohibent aliorum interpretum curae, qui de ea re abunde dixerunt. Cavendum etiam est, ne Te, mi Stallbaumi, diutius in ea re detineam Tibique fortasse taedium afferam. Tu vero ea, quae prolata sunt, benevole accipe, et

si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum!